Vol. IX. — Fasc. V. **Mense Septembri 1952**

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

DE NOVA ORDINATIONE PROVINCIARUM IN BRASILIA

Apostolatui Provinciae Brasiliae Centralis ac simul VProvinciae Brasiliae Septemtrionalis impedimentum erat nimia extensio territorii ipsis commissi; sociorum enim numerus nondum permittebat omnia opera promovere quae necessaria forent ad fidelium spirituale bonum. Cum aliunde Summus Pontifex enixe vellet ut penuriae sacerdotum qua laborat America Latina subveniretur missis auxiliis ex aliis regionibus, cum praeterea ex utraque illa Provincia iteratae preces datae essent ut personarum adiumentum concederetur, statutum est, duobus decretis A. R. P. Nostri die 3 maii datis, et tertio die 1 iunii:

a) ut ex territorio Provinciae Brasiliae Centralis demeretur pars continens Status Goiaz, Minas Gerais, Espírito Santo, eaque ut VProvincia dependens tribueretur Provinciae Legionensi, quae hucusque providendum habebat VProvinciae Cubanae nunc evectae in VProvinciam independentem Antillensem.

b) ut ex territorio Brasiliae Septemtrionalis demeretur pars continens Status Bahia, Piauí, Maranhão, Pará, Amazonas et territoria Acre, Rio Branco, Amapá, eaque ut VProvincia dependens attribueretur Provinciae Veneto-Mediolanensi.

c) denique, ut Status Mato Grosso cum Missione Adamantea necnon territorium Guaporé transferrentur a Provincia Brasiliae Centralis in Provinciam Brasiliae Meridionalis, quae maiorem sociorum numerum habet et spem praebet fore ut firmum incrementum proximis annis consecutura sit.

Itaque, in Brasilia nunc tria, ut antea, sunt *territoria independentia*:

Provincia Brasiliae Meridionalis cum territorio aucto, 2.094.870 km2 lato cum 8.506.709 incolis.

opera singularum divisionum solide constituta erunt, spes manet ut possit peti a Sancta Sede pars alicuius territorii proprie dictae Missionis in regionibus occidentalibus, sicut non pauca alia Instituta Religiosa habent.

Romam convenerunt nuper Provincialis Brasiliae Meridionalis, Provincialis cessans Brasiliae Centralis idemque VProvincialis iniens Goiano-Minensis, VProvincialis Brasiliae Septemtrionalis et nuper creatus VProvincialis Bahiensis, ut cum Patre Nostro et inter se agerent de necessariis mutationibus inducendis, et etiam de apostolatu in meliorem formam in futurum praeparando.

UNIVERSITATIS TOKYENSIS INCREMENTA

Vero quodam sensu, annus 1945 vocari potest initium Universitatis Sophia in Tokyo: versa temporum figura, libertate tandem gavisa est et capax facta verae expansionis. Nunc autem cum reaedificationes post bellum incoeptae et reorganisatio interna secundum novum systema universitarium fere absoluta sit, opportunum videtur considerare quomodo per 7 ultimos annos continuo incremento Universitas sit aucta.

Externa extensio fieri potuit magna ex parte per acquisitionem fundi in fronte principalium aedium et amplae areae ludorum. Decursu 7 ultimorum annorum, antiquae aedes bello destructae iterum aedificantur; surgit ecclesia Sti Ignatii; item novae aedes pro Schola Graduum (Graduate School) et bibliotheca. Insuper comparant apparatus laboratorii pro scientiis, collectionem operum de editione periodicorum. Bibliotheca quae numerat 80.000 librorum, ulterioribus eget augmentis quibus procurandis nunc adlaborant.

Interna extensio maioris est etiam momenti. Completae enim reorganisationi subiecta est Universitas his annis. Anno 1946, Societas onus accepit formationis futurorum sacerdotum insularum principalium Iaponiae in Seminario Maiore interdioecesano. Mense aprili 1948, Universitas se aptat novis regulis officialibus et qua talis agnoscitur a Gubernio. Mense octobri 1949, Facultas ecclesiastica Philosophiae canonice erigitur per decretum S. Congregationis pro Seminariis et Studiis. Mense martio 1951, agnoscitur Schola Graduum cum sectionibus Theologiae, Philosophiae, Culturae Occidentalis (inclusis litteris et historia) et Oeconomiae. Inde ius habet con-

ferendi gradum M. A. (Magistri Artium). Tempore suo, ius acquiret conferendi gradum Doctoris. Mense ianuario 1952, nova sectio Educationis additur Facultati Litterarum.

A mense iulio 1951, constitutus erat specialis peritorum coetus (inter quos P. Oizumi S. I.) qui normam requisitam determinaret et examini subiiceret Universitates quae confidebant se respondere modo vere sufficienti exigentiis « Novi Systematis Universitarii ». Inquisitio fiebat pro unaquaque ex Facultatibus. Sic die 17 iunii 1952, Universitas Sophia, cum aliis 38 (ex 46 quae libere petierant examinationem), declarata est, pro duabus suis Facultatibus, satisfacere conditionibus requisitis. Universitates 38 approbatae sic constituunt unicam — et fere auctoritate publica munitam — « Associationem Universitatum Accreditarum Iaponiae », quae associatio abhinc habet ius et auctoritatem, peracto scrutinio, similem recognitionem dandi Universitatibus qui eam petunt et invigilandi ut alta servetur norma educationis universitariae, primo inter membra sua et sic, indirecte, inter ceteras Universitates, eas admittendo vel arcendo ab Associatione.

Discipulorum iaponensium numerus sic crevit :

1946 :	320 alumni	1950 :	790 alumni
1947 :	485 »	1951 :	940 »
1948 :	579 »	1952 :	1142 »
1949 :	689 »		

Ratio habenda est insuper 550 alumnorum Divisionis Internationalis qui quater in hebdomada audiunt cursus vespertinos. Notandum est Universitatem Sophia cuius numerus clausus alumnorum est 1.360, esse parvulam si eam compares cum aliis : v. g. Universitas Waseda vel Keio numerat circiter 20.000 alumnorum. Nostra hucusque constat tantum duabus facultatibus, scil. Litterarum et Rerum Oeconomicarum; nullam habet facultatem iuris, medicinae, scientiae naturalis. Non gaudet eadem notitia et aestimatione publica neque profundiore influxu in vitam publicam. Sed paulatim nota fit inter homines et inter officinas quae accipiunt iam facilius graduatos nostros. Plures semper petuntur admissiones : 840 hoc anno, dum 545 tantum anno superiore, nonobstante crescente numero aliorum Collegiorum et Universitatum (196 et 222 respective).

Catholicorum numerus alumnorum (inclusis seminaristis in Facultate Philosophiae) erat:

1949	:	167	inter	689	alumnos	(24,2 %)
1950	:	231	»	790	»	(29,1 %)
1951	:	282	»	940	»	(30 %)
1952	:	331	»	1142	»	(29,86 %)

Ex catholicis multi baptizati sunt dum erant in Universitate.

Inter professores ordinarios — praeter 26 Patres et 5 Scholasticos — sunt 20 catholici et 15 non-catholici, quibus addere oportet 13 magistros conferentiarum (lecturers) catholicos et 30 non-catholicos. Ne obliviscaris ad iudicium ferendum de illis numeris, Iaponiam habere tantum 150.000 fidelium inter 82.000.000 paganorum, i. e. 0,18 %.

Illius successus magna pars debetur sine dubio 30 annis laboris duri atque apparenter inutilis et etiam indirectis persecutionibus quae praesentes benedictiones praeparaverunt et fausta promittunt pro futuro. Sed cum Protestantes nunc propriam Universitatem aedificare conentur, oportet promoveamus ulterius incrementum. Novae Facultates creandae, aedes amplificandae, bibliothecae organisatio perficienda. Valde desideratur etiam ut pluribus alumnis Universitas praebere possit hospitium, non solum quia difficillimum est invenire in urbe hospitia sufficientia et modici pretii sed praesertim quia multum iuvat Catholicos ad fidem stabiliendam aliisque viam ad Ecclesiam aperit. 160 alumni vivunt nunc in Universitatis hospitio angusto nimis. Maxima necessitas est professorum plurium simul et eruditorum. Sane multi iuniores Sacerdotes et Scholastici praeparantur sed bonis laicis professoribus egemus. Laborat adhuc Ecclesia iaponica carentia laicorum insignium, praesertim in campo academico et sub hoc aspectu, onus maximi momenti incumbit Universitati.

CONSOCIATIO ABSTINENTIAE TOTALIS A POTIBUS ALCOHOLICIS IN AUSTRALIA RECEPTA

Anno 1951, Foedus Abstinentiae Totalis SS. Cordis, ut communiter nuncupatur, in Australia conditum est. Eo anno RR. DD. D. Mannix Archiepiscopus Melbournensis, per bona officia R. Patris A. Kelly, Provincialis Australiae, Jesuitas Hibernicos invitavit qui in Archidioecesi simile Foedus fundarent. R. P. Kelly delegit P. K. Carroll ut in Hiberniam contenderet Consociationi studendi causa; simul Patres Hibernici in Australiam miserunt P. Doherty, Moderatorem adjunctum Foederis, ut fundamenta Consociationis ibi jaceret. (Quid sit Foedus Abstinentiae Totalis, ejus finis, natura, motiva, jam explicatum est in Memorabilia, VII p. 127. Cf. etiam AR. XI p. 766).

Australia sicut pleraeque aliae nationes lue ebrietatis infecta est. Ad illam eradicandam nunc appellatum est ad Foedus Abstinentiae Totalis, cujus membra conscripta per apostolatum abnegationis, orationis, boni exempli expiare student offensa contra SS. Cor et impetrare ebriosorum conversionem.

In initio, ut quam maxime solida essent fundamenta et propter indolem seriam et « heroicam » oblationis quam faciunt conscripti, P. Doherty lente de industria processit. Omnem speciem « enthusiasmi » praecipitis, quo abrepta magna multitudo Consociationem inundaret, evitare contendit. Propter has rationes labores suos plerumque inter limites Archidioecesis Melbournensis continuit, quamquam in alias partes etiam invitatus est. Ut unam talem invitationem commemorem, Em.mus Cardinalis Gilroy, Archiepiscopus Sydneiensis, Foederi maxime favet et totum suum auxilium ei promisit.

Post laborem unius anni, quando ab Australia discedebat P. Doherty, numerus conscriptorum ad mille accedebat. Cum Foedus ut plurimum a paroeciis dependeat, necesse erat a principio conciliare benevolentiam et favorem sacerdotum futurorum. Propterea unum ex primis Centris in Werribeensi Seminario Regionali constitutum est, cum tanto successu ut primo Conventui Generali Annuario 40 studentes Werribeenses conscripti, « Pioneers » qui dicuntur, adfuerint. In aliis etiam collegiis similibus pari ardore Foedus receptum est.

Singulis hebdomadis per totum annum contiones de Foedere

Abstinentiae Totalis ad omnes Missas dominicales (et nonnumquam ad Devotiones Vespertinas) in circiter 40 Ecclesiis Archidioecesis habitae sunt. Fructus conamini responderunt, nam 18 Centra nunc florent, quorum 12 ad paroecias Melbournenses pertinent, et alia constituenda sunt. Notatu dignum est quod non semel primus ad cancellos altaris accessit ipse Parochus, ut Oblationem Heroicam proferret et Insigne acciperet.

Maximo studio Consociationis tenebatur E. D. R. Prenderville, Archiepiscopus Perthensis in Australia Occidentali. Cuius desiderio ut Centrum in sua Archidioecesi constitueretur visum est annuendum esse, et jam ab uno anno Centrum in Ecclesia Cathedrali erectum est; Consilium 105 membra cooptavit.

Extra Centra proprie dicta sunt plures « Pioneers » per Australiam sparsi, sive Hibernici qui iam in Consociatione conscripti ad Australiam migrarunt sive alii qui Consociationem cognoverunt per articulos menstruos in Nuntio SS. Cordis scriptos; hi omnes in unum coadunati sunt in sic dicto Registro Nationali, et 130 numerantur.

Quamquam iuvenes 16 annos nati in Consociationem admitti possunt ut promissum perpetuum praestent, nihilominus quia pauci illius aetatis inveniuntur qui rationem seriam et multa exigentem promissi intelligant, plerumque bonum visum est apud eos insistere in sponsione temporali, tempore Sacramenti Confirmationis suscepta. Attamen unum alterumve Centrum in scholis fundatum est, quorum unum est insigne, scilicet inter alumnas Sororum « Faithful Companions of Jesus » apud Genazzano, ubi iam 18 puellae oblationem praestiterunt.

Consociatio domicilium permanens in Residentia R. P. Provincialis, Melbournii, invenit. P. K. Carroll in Australiam regressus opus cum favore Divinae Providentiae feliciter inceptum deinceps promovebit.

NOTITIA DE VICEPROVINCIA ANTILLENSI

Ex epistola A. R. P. Generalis ad PP. et FF. Viceprovinciae Antillensis die 30 Aprilis 1952 data, occasione eius erectionis in Viceprovinciam independentem, sequentia extrahimus.

Primo anno post restitutam Societatem, senatores urbis Habanensis petiverant reditum Nostrorum, sed id nonnisi anno 1853

praestari potuit. Collegium Bethleemense fundaverunt, ubi anno 1857 instituta est specula meteorologica ope cuius multa mala averti potuerunt. Anno 1925, novum collegium Bethleemense inaugurabatur. Post 4 annos, Missio Cubana erigebatur in Viceprovinciam a Provincia Legionensi dependentem. Tunc habebat 4 collegia : Habanense, Centumfocense, Saguense et Sti Iacobi, praeter residentiam Habanensem, et sociorum numerus superabat centum.

Eiecta Societate ex Hispania, crevit numerus Nostrorum et sic anno 1936 constituta est prima domus cum paroecia in Republica Dominicana cui mox aliae similes additae sunt. Seminaria quoque sibi adscivit maius et minus Trujillense et Sacromontanum praeseminarium.

Anno 1945 instaurata est Aiboniti in insula Portorricensi domus Exercitiorum cui 1948 adiunxit Seminarium Minus interdioecesanum. Paratur mox aperiendum collegium in eadem insula.

Christiana iuventutis institutio post peracta studia media continuatur ope Consociationis antiquorum alumnorum Habanensis, Sodalitatum Marianarum et praesertim Consociationis Catholicae Universitariae ex qua plus quam 30 iuvenes Societatem sunt ingressi. Apud Ponce, Patres ministerium exercent in Universitate Portorricensi. Iuvenes opifices attingit Schola Electromechanica Habanensis quae numerat alumnos 200 et viam parat ad Universitatem opificum proprie dictam.

Actioni Catholicae collaborat sic dicta « Asociación Nacional de los Caballeros de Cuba ». Missiones populares quibus iam ab initio Patres incubuerunt semper florent : recenter complures excoluerunt urbem Camaguyensem et bini singulas paroecias Portorricenses et Dominicanas peragrarunt. Exercitia Spiritualia traduntur in duabus domibus, Habanae et Aiboniti, et nonnumquam in Collegiis et Residentiis pro selectis viris et iuvenibus.

Tres Residentiae exstant in insula Cuba : Habanensis, pulcherrimo templo instructa in qua florent praesertim Apostolatus Orationis et Sodalitates Marianae, Centumfocensis et Camagueyensis cum annexa paroecia. In Republica Dominicana inveniuntur tres Residentiae Montecristensis, Dajabonensis et Trujillensis, et quinque paroeciae.

Numerosae sunt vocationes ad Societatem ita ut noviciatus anno 1941 erectus sit. Ex 332 sociis quos mense martio ultimo Viceprovincia Cubana, nunc Antillensis nuncupata numerabat, 114 sunt in Antillis nati quorum 16 Patres, 80 scholastici et 18 coadiutores.

OPUS MISSIONARIUM PRO OPERARIIS HIBERNICIS IN ANGLIA DEGENTIBUS

Multis abhinc annis Excellentissimi Angliae et Hiberniae Episcopi illa sic dicta « fuga » ex Ecclesia Catholicorum Hibernicorum, qui laboris inveniendi causa in Angliam migraverunt, anguntur. Nam illa migratio quae saeculo postremo in Americam Septemtrionalem tendebat iam in Angliam praesertim deflexit, ita ut plura centena milia operariorum Hibernicorum nunc ibi degant.

Hortante et cooperante Hierarchia Anglica, aliquot missionarii excurrentes Provinciae Hiberniae secessus et missiones populares pro concivibus in Anglia exulantibus recenter constituerunt peragere. Tempora quae opportuniora visa sunt a mense septembri usque ad mensem februarium annorum 1950-1951-1952 se extenderunt, quando missionarii missionibus paroecialibus in Hibernia minus occupantur.

Per hanc activitatem spiritualem missionarii intendunt aliquid conferre ad illam « fugam » continendam. Sperant fore ut communitas Hibernica, si in fide firmata fuerit, suas partes agat in recuperanda Anglia pro Ecclesia Christi.

Missiones triplicis generis illis Hibernicis praedicatae sunt: A. Missiones in castris operariorum, B. Missiones in Ecclesiis ad « Operarios qui domo absunt », C. Ordinariae missiones paroeciales.

A) Haec castra plerumque longe ab Ecclesia distant. Castra apud *Rhayader*, exempli gratia, 15 milibus passuum ab Ecclesia distant; et quamquam Missa die Dominica in statione Vigilum et semel in mense in ipsis castris celebratur, homines, qui omnes die Dominica laborant, saepe hora Missae 5 milibus passuum in metallis vel aggeribus absunt. Operarii sat magnum stipendium laboris accipiunt, e. g. apud *Dunford Bridge* stipendium est in hebdomada 8 usque ad 15 librarum sterling; quod saepe, proh dolor, in potu vel alio simili modo expenditur.

In his castris missio hebdomadam durabat. Missionarius saepius in ipsum hospitium cum uno alterove operario devertebat. Sacrum mane, hora circiter 6ª, litabat, et contionem 5 minutarum habebat; omnia intra semi-horam absolvebantur et operarii, parvo ientaculo arrepto, statim cum festinatione ad laborem se conferebant. Vespere hora circiter 7,30 in aula Cinematographei vel in valetu-




Simulacrum eburneum B. M. V. a Groeninghe, 19 cm altum, a Papa Honorio IV dono datum anno 1285 Beatrici, Comitissae Flandriae, et ab anno 1803 in ecclesia nostra Sti Michaelis Residentiae Cortracensis (Prov. Belg. Sept.) asservatum. Coronatum est die 6 iulii (vide p. 90).



Primi Novicii e Prov. Tarraconensi mittuntur ad fundandum Noviciatum ad Cochabamba (Bolivia) (Iulio 1952. Cfr. fasc. IV, p. 71).



Domus Noviciatus Prov. Germ. Sup., apud Neuhausen, cum rerum rusticarum aedibus. A dextra parte domus, sacellum; a sinistra, aula instructionum.



Noviciatus apud Neuhausen. — Cubiculum Noviciorum.

dinario vel alio commodiore loco pia exercitia habebantur, quae in recitatione Rosarii, Instructione practica et Contione consistebant et non ultra horam producebantur. Per diem missionarius varia tecta invisebat et Catholicos quaerebat, qui, alii alio tempore, (dies enim solet in tria tempora 8 horarum distribui, ita ut diu noctuque laboretur) quietem sumebant. Ibi in lectulo sedens hominem crebro de rebus animae suae allocutus est.

Tales missiones traditae sunt in hospitiis Stoke Guild et Wycken apud Coventry, apud Peterborough, Worcester, Swynerton, Scunthorpe, Newark, Rhayader, Dunford Bridge, Kersley, Nethertown et alibi. Apud Nethertown parvum tabernaculum in uno ex tuguriis instruxerunt, ita ut approbante Episcopo Sanctissima Eucharistia ibi conservari posset; lumen coram ardebat et vexillum aliquod supervolitans praesentiam Domini indicabat.

Quae Dei gratia est, fructus spirituales non defuerunt. Maior pars, vix non omnes, operariorum Catholicorum sive Hibernicorum sive Scotorum aliorumve ad Sacramenta accesserunt; multi per longos annos ab iis abfuerant. Exemplo sit ille homo qui Patri praetereunti caput aperuit; « Catholicusne est? » interrogavit Pater. « Ita », ille respondit. Tum interrogatus a Patre num Sacramenta recens frequentasset, dixit: « non post bellum ». « Utrum bellum? » insistebat Pater. « Bellum contra Boers » erat responsum. Post paucos dies SS. Sacramentum Eucharistiae accepit.

Patres missionarii censent tales missiones in castris quotannis repeti debere.

B) Missiones in Ecclesiis « ad Operarios qui domo absunt » non solum Hibernicos sed Scotos et 'Tynesiders' aliosque allexerunt. Ita habitae sunt ut ordo solitus et labor Paroeciae non interrumperentur, et Patres missionarii ita possent totam operam dare invisendis hospitiis, deversoriis aliisque habitationibus ubi operarii degunt. Tales missiones praedicatae sunt apud Peterborough, Swynnerton, Scunthorpe, Worcester et alibi.

Ut fructus harum missionum stabiles fierent, Patres studuerunt, et quidem feliciter, instaurare vel condere Confraternitates in Ecclesiis, ubi operarii singulis hebdomadis vel secunda quaque hebdomada pro piis exercitiis vespertinis vel ad confitendum congregarentur.

C) Solitae missiones paroeciales a Patribus datae sunt in locis ubi Hibernici vel eorum descendentes frequentes habitant. Operae-

pretium est commemorare magnam missionem in Ecclesia Cathedrali Birminghamensi mense maio 1951 traditam per duas hebdomadas. Bene praeparata est, nuntio late sparso per ephemerides Provinciales Hibernicas vel per Officiales fabricarum qui bono publico consulunt. Singulis noctibus Cathedralis implebatur. Condita est Confraternitas Sanctae Familiae, cui intra 6 menses 3.400 se adscripserunt. Quavis feria quarta conventus hebdomadalis habetur; membra vero secundum suam quisque artem congregantur sub proprio vexillo.

Medio mense septembri 1951 quattuor missionarii convenerunt Oxoniam ubi per 15 dies in tribus paroeciis principalibus missiones praedicaverunt. Inde Londinium se contulerunt ubi in 5 paroeciis missiones sunt habitae; apud Camden Town et Cricklewood tanta erat turba hominum ut pia exercitia bis quaque nocte habita sint. His missionibus Londiniensibus finis factus est frequentissimo hominum conventu in Cathedrali Westmonasteriensi, praesidente Em.mo Cardinale Griffin et praesente Legato Hibernico cum uxore. Omnia sedilia iam semi-hora ante initium occupata erant, et in parte Ecclesiae postrema homines stabant per ordines dispositi (50 in fronte, 12 ad latera). Aestimant 5000 homines huic caeremoniae interfuisse; P. W. Prendergast, S. J. contionatus est.

Reputant per annum 1951 30.000 hominum his missionibus pro Operariis interfuisse.

VARIA

Apostolatus socialis in Collegiis nostris.

In Schola Sanctae Genovefae in urbe Versailles (Prov. Franc.) adsunt circiter 500 discipuli, anno 18 ad 22 nati, qui parant examina admissionis pro Magnis Scholis. Initio anni, statim post sacrum quendam secessum, per 3 dies tentamen factum est formationis socialis. Ab h. 8 ad h. 16.30, labori manuali, ut infra explicatur, in variis locis se dabant et postea audiebant « cursus informationis » quos sequebantur discussiones. Ut facile suspicari potest, tentamen practicum praesertim eorum animos profunde commovit. Pars eorum adiuvit familias quae aedes derelictas occupare cupiebant. Locum mundabant, caminos ponendos curabant, tubulos quibus aquae sordidae evacuarentur iungebant.

In alio centro ubi domum propriam ope collaborationis mutuae conantur construere, terram excavabant et petras ad constructionem necessarias quadrabant. In duabus paroeciis ubi vivunt homines pauperioris conditionis, varia opera utilia complent. Via longa 80 metrorum sternitur ut facilior fiat accessus ad ecclesiam, aula paroecialis debitis reparationibus fit amoenior. Alibi requirunt habitationes insufficientes et eas mundant, reparant, ornant. Alibi etiam terram amovent ad parandam ludorum aream vel senes hospitii cuiusdam adiuvant in laboribus horti. Nunc autem opus inceptum, quantum studiorum ratio patitur, complere pergunt ne spirituales fructus iam acquisiti obducta consuetudine vilescant.

In Collegio Godinnensi (Prov. Belg. Mer.), alumni quartae scholae latinae (annos circiter 15 nati), experimentum apostolicum per Hebdomadam Sanctam tentare statuerunt. Sub ductu duorum magistrorum, in duas operariorum paroecias prope Leodium se contulerunt ut ibi caerimonias sacras explicare, illustrare et ope « paraliturgiae » vividiores reddere curarent. Illae erant conditiones ut omnes sumptus ab ipsis alumnis tolerarentur, parce viverent, super paleam dormientes, culinae officia ipsi exsequentes. Primum, ut homines alliciant, de domo in domum transeunt et sic 2.100 familias adeunt. Inter praecipuas manifestationes, notandae sunt repraesentatio Coenae et lotionis pedum quam comitantur cantus et invocationes « dialogatae » cum populo, adoratio nocturna coram Sanctissimo, via Crucis « dialogata » cum fidelibus in ecclesia, via Crucis in viis publicis, repraesentatio Passionis in choro ecclesiae. Pia illa exercitia cum multa attentione et animi commotione fideles sequebantur. Sabbato Sancto, visitarunt varias officinas et collocutiones habuerunt cum operariis « militantibus » christianis. Excmus Episcopus gratias egit alumnis pro eximio testimonio fidei et caritatis socialis.

Sollemnis commemoratio victoriae apud Groeninghe (Prov. Belg. Sept.). Occasione celebrationis 650[i]. anniversarii victoriae apud Groeninghe — sic dictae Calcarium aureorum — qua, die 11 iulii 1302, pedites flandrici libertatem patriae confirmarunt, Foedera S. Cordis spiritualem significationem famosi eventus pro hominibus huius temporis indicare voluerunt. Sicut enim antequam manus consererent, antiqui illi milites, pugnaturi contra hostem temporalem, Sacram Communionem in ipso dimicationis campo acceperunt, ita moderni nostri Christi milites ad altiora bella vocati similem actum

publicum religionis sibi exercendum esse censuerunt. In ipsum antiqui illius certaminis locum convenerunt, die 6 iulii, 7.500 Sodales. Multi domo profecti erant summo mane, hora tertia vel quarta, ut Missae adesse possent quae hora septima, unanimi resonante cantu, celebrata est. Sub « Offertorio », septuaginta sacerdotes quos singulos comitabantur unus Sodalis et unus miles lampadem gerens, totidem ciboria in altari collocarunt. Sacram Communionem omnes receperunt ut contra fidei morumque impugnatores, infensiores quam illi qui patriae libertati minitabantur, pro aris et focis, sub tutela Beatae Mariae Virginis felicius in dies dimicare possent.

Eodem die, Excmus D. Cento, Nuntius Apostolicus in Belgio, post missam pontificalem coronavit imaginem eburneam B. M. Virginis, Consolatricis Afflictorum, ad Cuius invocationem pugna illa in favorem flandricorum versa est, quaeque hodie in ecclesia Residentiae nostrae Cortracensis colitur. Tam pulchra festivitas cui praeter complures episcopos, abbates et aediles civitatis 20.000 circiter fidelium aderant, praeparata erat mense maio per congruas conciones, pia exercitia mariana et communiones generales in omnibus urbis paroeciis. Post veneratissimi simulacri coronationem, 4.000 Sodalium Marianorum sollemnem Matri suae honorem et consecrationis renovationem detulerunt.

Novus Noviciatus Prov. Germ. Sup. Multas post sollicitudines et deliberationes tandem, festo Annuntiationis B. Mariae V., nova Domus probationis Provinciae Germ. Sup. ab Ordinario loci, Exc. Dmno Carolo Jos. Leiprecht, Episcopo Rottenburgensi Sacra benedictione donari potuit; sita est in vico Neuhausen prope Stuttgart. Post bellum, Collegium Pullacense hospitium praebuit non solum Philosophis, qui pauci erant cum Candidati fere omnes servitio militari detinerentur, sed etiam Iunioribus necnon Noviciis Provinciarum Germ. Orient. et Germ. Sup.

Propter nimias aedium angustias, primi ab eo Collegio abierunt Iuniores et occuparunt Domum Exercitiorum Rottmannshöhe; dein Novicii Provinciae Germaniae Orient. Nam haec eo ipso tempore quo infortunio occisos amisit 15 Philosophos, divina benigne disponente Providentia feliciter invenit Domum probationis valde aptam in aedibus monasterii Trappistarum Ockenheim, prope Bingen.

Provincia Germ. Sup. tandem, cum multa data opera aptum aedificium non inveniret, exstruxit — benefactoribus iuvantibus et

iuvaturis — novam Domum Noviciatus Neuhausen, vico catholico in regione protestantica. Mirantur omnes visitatores quomodo, simplicitate formae et parsimonia materiae servatis, effici potuerint aedes tantopere et fini utiles et aspectu pulchrae.

In insula Madagascar, Scholae Missionum Catholicarum numerant alumnos plus quam 96.000 (i. e. tertiam partem omnium qui scholis attendunt), quorum 37.000 sunt in scholis elementaribus, 37.000 in scholis primariis et 2.000 in scholis mediis. Nunc autem Excmi Vicarii Apostolici petierunt ut in urbe Tananarive constitueretur directio quaedam centralis omnium scholarum « liberarum » cuius cura commissa est P. Leonardo Danel (Missionis Fianarantsoa, Prov. Campaniae). Illius institutionis munus est coordinare conatus omnium Vicariatuum et Praefecturarum Apostolicarum, sive de Societate sint sive non, in quaestionibus scholaribus. Tractationes cum Gubernio Gallico agit quod attinet ad instructionem et ad subventiones a Gubernio oblatas. Curat etiam universum problema de cultura civili et praesertim christiana populi indigenae, saltem quod spectat ad catholicos. In hunc scopum, promovet compositionem librorum manualium et periodicorum pro alumnis et magistris, sicut etiam conventus paedagogicos.

Consecratio Viceprovinciae Melitensis SS. CC. Iesu et Mariae. Viceprovincia Melitensis, die 29 iunii 1952, quinto recurrente anniversario a sua canonica erectione, Consecrationem SS. Cordi Iesu Cordique Immaculato Mariae fecit. Praepositus Viceprovinciae hoc suum subditis notificavit propositum, dicendo opportunum visum esse hanc facere Consecrationem, non solum quia aliae iam plures Provinciae Societatis eam peregissent, atque omnia Viceprovinciae membra communi petitione postulassent, sed etiam ad intensiorem reddendum fervorem sodalium benedictionesque divini Cordis Iesu advocandas antequam Viceprovincia nova suscipiat opera suumque apostolatus campum amplificet. Pignus harum benedictionum iam concesserat Cor Iesu, siquidem quinque his annis Viceprovincia Melitensis 70 vocationibus aucta est, atque assiduis generosisque benefactoribus gaudet. Novus nunc construitur Noviciatus.

Benedictio primi lapidis Noviciatus Melitensis in Naxxar, — « D. O. M. — A. d. IV Idus Aug. MCMLII — Pio XII Pont. Maxi-

mo et Elizabeth II Angl. Regina — Feliciter regnantibus — Sub I. B. Janssens Gen. Soc. Iesu — Iosephoque Delia — Eiusdem Societatis Prov. Mel. Praeposito — Primus hic lapis — Positus sacratusque — Ab Excellentissimo Michaele Gonzi Mel. Arch. Metr. — Ad sustendam firmandamque — Domum probationis Loyoleam — Futuris vineae Domini operariis — Qui Ignatianam hic inveniant institutionem — Iuxta praeclaras Soc. Iesu traditiones — Sintque Eccl. Melit. decus — Solatium animarum iuvamenque — Et Christi invicti apostoli — A. M. D. G. » Hae verba in membrana artistice conscripta, debite subsignata ab Excmo Archiepiscopo, a R. P. Provinciali, a patrinis, a Noviciatus Rectore, et in lapide angulari inclusa, omen reflectunt A. R. P. Generalis in suis litteris hac occasione datis ad Viceprovinciam Melitensem : « Necessitas novas exstruendi aedes Noviciatus testificat incrementum Societatis in insula Melita novasque phalanges promittit apostolorum Ignatii spiritu imbutorum et pro Iesu amore ad salutem perfectionem animarum deditorum ». Caerimoniae interfuerunt numerosi parentes Iesuitarum et benefactores. Ante lapidis benedictionem, R. P. Provincialis generositatem benefactorum commemoravit. Postea Excmus Archiepiscopus ritum conclusit gratias agendo Societati de beneficiis quibus Melitam cumulavit. « Si Melita, inquit Excmus Praesul, potest gloriari se possidere unam ex antiquissimis Universitatibus in Europa, hoc debet Societati Iesu quae etiam domum Exercitiorum fundavit ubi nunc sedem obtinet Seminarium Archiepiscopale. Post Societatis suppressionem, diu sapienti solidaque directione horum Patrum orbati mansimus. Salutamus nunc « secundum Societatis vernum tempus » in nostra Patria ».

Bibliotheca Vaticana in Universitatem Sti Ludovici translata, (Prov. Miss.). Die 15 augusti 1950, Patres Lowrie Daly et Joseph Donnelly ex Universitate Sti Ludovici petere statuerunt ut Bibliotheca Vaticana sineret eos aliqua saltem ex suis pretiosis Medii Aevi manuscriptis in « microfilms » referre.

Post aliquot menses, die 1 novembris 1950, dum Romae proclamatur dogma Beatae Virginis Mariae in caelum assumptae, benignam accipiunt responsionem. Momentum talis moliminis facile apparet : collectio manuscriptorum Bibliothecae Vaticanae est ditissima et longe superat numero et valore omnes alias collectiones. Universitas Studiorum quae eorum imagines possideat, ipso facto fiet mag-

num centrum indagationis Studiosorum circa litteras, leges, historiam aliasque eruditionis materias Medii Aevi. Sed ad assequendum tale invidendum commodum, nec pecunia, nec sollertia technica praesto esse videbantur. Insuper sat gravis morbus affecit P.em Daly. Postquam hic, die 2 februarii 1951, convaluit, sequenti hebdomada, ambo Patres iter arripiunt ad Urbem ad generalem notitiam sumendam de collectione romana manuscriptorum. Romae humanissime excepti a P. Anselmo Albareda O. S. B., Praefecto Bibliothecae, examen instituunt collectionis cuius momentum vix exaggerari potest. Duabus post hebdomadis, postquam sufficientem notitiam rerum sibi efformare potuit, P. Donnelly regressus est in Americam. Ut ad felicem exitum enim tale opus deduceretur, necesse erat magnam pecuniae summam impendere ad « pelliculas » et apparatus necessarios acquirendos.

Die 25 martii 1951, supremum Consilium Directorum Consociationis « Knights of Columbus » huic rei attendere coepit. Post seriam considerationem, stabiliverunt « Fundationem ad praeservanda historica documenta Bibliothecae Vaticanae ». Huius scopus erat non tantum sustentare opus principale transferendae in microfilms collectionis Vaticanae manuscriptorum sed etiam curandi ut, postquam in America pervenisset, diligentia debita tractaretur et continue foveretur in commodum studii scientifici americani.

Nunc autem, nondum ad finem vergit susceptum molimen. P. Daly adhuc Romae versatur. Iam plura millia metrorum pelliculae transvecta sunt Romam ut laboratoria Bibliothecae Vaticanae instrumentis necessariis munirentur. P. Daly per plures menses examini subiecit centies centena millia paginarum, eligendo et ordinando quae utilia fore censerentur: hic labor revera immensus, a peritis viris laudibus exceptus, per longum tempus protrahendus erit ut rite imprimantur imagines, quod non parvas secumfert difficultates. Spes est ut ultima pelliculae pars imprimatur die festo aliquo Beatae Virginis Mariae quae numquam, ut ex dictis apparet, huic operi auxilium et favorem praestare destitit.

Investigationes in Basilica Sti Petri. — P. Daniel Linehan (Nov. Angl.) et P. J. Josephus Lynch (Neo-Ebor.) alteras series investigationum seismicarum Romae recenter confecerunt in Basilica Patriarchali S. Petri. Harum investigationum finis erat descriptio arearum excavationibus Vaticanis contiguarum quae nondum exploratae

sunt. Ope methodorum seismologiae et instrumentorum scientificorum a P. Linehan excogitatorum, Patres mensuras seismicas hoc anno egerunt « transeptorum » Basilicae, et septemtrionalis et meridiani. Anno superiore similes investigationes peregerant circum excavationes quae sepulcrum Principis Apostolorum circumdant. Sic Patres Linehan et Lynch primi adhibuerunt et cum successu accomodaverunt methodos seismologiae ad fines archaeologicos.

De stipe a Societate collecta pro Pontificiis Operibus Missionalibus. — Nostris qui unoquoque anno fideliter in foliis ad PP. Provinciales mittendis inscribunt quantae eleemosynae Nostrorum opera in Ecclesiis, Collegiis etc. collectae sint, certo iucundum erit legere quam utilitatem ille labor habeat. In ultimo numero Actorum Pontificalium Operum (15 iunii 1952) ratio redditur de eleemosynis ab illis Operibus acceptis. Post iudicium latum de maiore vel minore generositate fidelium variarum Nationum, sequens nota legenda est: « AD EXEMPLUM. - Ad exemplum omnium Ordinum et Familiarum Religiosarum utriusque sexus grato animo et magno plausu referimus quod Patres a Societate Iesu in Ecclesiis, Domibus et Ephebeis cum Provinciarum tum Missionum suarum pro Opere a propagatione Fidei collegerunt et ad nutum Consilii Superioris tradiderunt: $USA 224,000! *Collegerunt et tradiderunt*: in hoc quoque fideles Sancti Ignatii Filii sunt ». Clarum est Consilium Superius, agnoscens nostram sinceram collaborationem, faciliorem etiam aurem praebiturum si e nostris Missionibus eius auxilium imploretur. Profecto non parvum est emolumentum laboris tam eorum qui actu in collegendis eleemosynis collaboraverunt quam eorum qui fideliter cum PP. Provincialibus communicaverunt summas collectas — et, uti convenit, Consiliis nationalibus traditas — quorum dein summa totalis ad Curiam Generalem mitti solet, quae ita Ipsi Consilio Superiori Operum Pontificiorum aperire potest quae fuerit pars Societatis in colligenda stipe.

Nominati sunt:

R. P. Ioannes W. Lange, Superior Regularis Missionis Trincomaliensis.

R. P. Thomas F. Hussey, Superior Regularis Missionis Irakensis.

R. P. Iordanus de Puch, Praepositus Provinciae Tolosanae.

R. P. Emmanuel Acevez, Viceprovincialis Regionis Mexicanae Septentrionalis.
R. P. Ioannes Bosco Rocha, Praepositus Provinciae Brasiliae Centralis.
R. P. Petrus Dalle Nogare, Praepositus Provinciae Veneto-Mediolanensis.
R. P. Desmundus Boyle, Praepositus Provinciae Angliae.

NECROLOGIA

Pater Eduardus de Moreau d'Andoy (1879-1952) (Prov. Belg. Mer.). — P. Eduardus de Moreau d'Andoy mortuus est Lovanii 2 Martii 1952. Natus erat die 26 Augusti 1879 in vico Andoy ex numerosa familia; quattuor fratres habuit quorum unus monachus fuit S. Benedicti et tres sorores inter quas una in religionem ingressa est. Pater eius Baro de Moreau d'Andoy Minister regius erat Agriculturae et Operum publicorum, cum Eduardus mense septembri 1896 adscriptus est inter novicios Truncinienses. Anno 1899 missus est Eduardus Namurcum in Facultatem Nostrorum ubi post duos annos diploma candidati in philosophia et historia obtinuit. Absolutis studiis philosophicis per biennium in Universitate Lovaniensi studiis historicis operam dedit, duce celebri professore Canonico Cauchie, et summa cum laude consecutus est lauream in historia. Postquam per annum magistrum egit, peractis studiis theologicis Lovanii et tertia probatione in domo Exaten apud Patres Provinciae Germaniae, anno 1913 historiam ecclesiasticam docere coepit in Collegio nostro Lovaniensi; quod officium per 40 fere annos usque ad mortem tenuit.

Dum hanc disciplinam Nostros docet, non paucos edidit libros qui fere omnes ad historiam ecclesiasticam Belgii spectant. Inter praecipua eius opera fuerunt « L'abbaye de Villers » (quo libro lauream consecutus est), Vita Adulfi Dechamps, fratris Cardinalis Mechliniensis, Vitae S. Amandi, Sancti Anscharii, S. Alberti Lovaniensis. Maximum eius opus fuit Historia Ecclesiae in Belgio, cuius operis 5 volumina edita sunt, 6um autem volumen magna ex parte ad prelum paratum erat, cum morte optimus Pater abreptus est. In magno opere « Histoire de l'Eglise par Fliche et Martin » Pater de Moreau habet conscriptam elucubrationem de Luthero et de Calvinismo in Neer-

landia. Non paucos alios eius libros omittimus necnon multos articulos et fere innumerabiles operum recensiones in variis periodicis.

Propter omnia haec opera, ex quibus unum saltem (Vita S. Amandi) « coronatum » est tum ab Academia Regia Belgica, Pater eximii historici famam adeptus est. In « Commissionem » regiam Historiae etiam adscitus, anno 1945 « Membrum correspondens » et anno 1946 « Membrum titulare » Academiae Regiae Belgicae declaratum est. Anno autem 1950 unanimi suffragio obtinuit praemium quinquennale Historiae patriae.

P. d. M. eximio iudicio praeditus fuit. Minus innata facilitate quam labore improbo et assiduo tot res patrare potuit. Fontium diligentissimus scrutator, notata magno ordine collecta servabat. Ad vigiliam mortis usque, cruciatus quidem saepe doloribus intensis, ut ipse confessus est, sed cum mente lucida, laborare non destitit.

Tot laboribus onustus, per 30 annos menstruam recollectionem praedicavit sacerdotibus decanatus Jodoigne et per ferias exercitia spiritualia tradere solebat.

P. d. M. indole amoena praeditus omnes habuit amicos et facetiis in consuetis recreationibus sociis gaudio erat. Religiosae disciplinae fuit fidelissimus observator et, licet per longam partem vitae infirmitatibus oppressus esset, in omnibus vitam communem sequebatur neque ullius adiutorio uti voluit in rebus suis ordinandis.

Ad administrationem aptissimus non semel vices egit Rectoris Lovaniensis immo Provincialis. Quo factum est ut anno 1938 adfuerit Congregationi Generali XXVIII tamquam Viceprovincialis Provinciae Belgicae Meridionalis.

Omnibus exemplum reliquis religiosi simplicis, fidelis, officio plane dediti, qui indefesso labore non vulgare monumentum exegit in honorem Ecclesiae Belgicae.